

CAPUT IV. LIB. III.

De Paradoxis & prætextibus, quos Lutherani habeant.

1. De Paradoxis
quæ nostræ par-
tis hominibus
imputari posse
existimat.

Iren. pag. 278.
279. 280.

Postquam D. Pareus in præcedentibus, de quibusdam Articulis, inter nos controversis egisset; nunc morem Ægyptiorum imitando sagittas suas retrorsum emittit, scribens: *Negue arbitrentur, nos in præsens etiam, SI VELLE MUS, vicem ipsis rependere non posse, exprobrando Paradoxa & Dogmata longè horribiliora & falsiora ex ipsorum Libris, quorum 39. recenset & tandem concludit: Et id genus innumerabilia horrenda paradoxa, quæ nos tamen cum suis Authoribus SEPULTA ESSE, PACIS CAUSÂ, HACTENUS SINIMUS. Hucusque Irenicum.*

Respond. 1. Habes hîc, candide Lector, vivum Exemplar istius, non tam vulgati, quàm verissimi proverbii: *Qui verecundia fines semel transierit, eum benè & gnaviter impudentem esse oportet.* Quæ enim non dico Conscientiâ, sed quo pudore, coram Orbe Christiano audet dissimulare ac perfidè suppressere id, quod ante omnium oculos positum est, & Calviniani hætenus tanto totiesque iterato nisu patrârunt. Inficiabitur ne, se suosque Complices, hæc ipsa, quæ hîc recensentur Paradoxa, jam dudum Scriptis suis publicis evulgasse & in Orbem Christianum longè latèque sparsisse? Annè, fortè contra voluntatem ipsorum (quia dicit: *si vellemus*) ante Annos 27. viventibus Herdesiano, Urbano Pierio, Christ. Pezelio, aliisque tum istius farinæ hominibus, editi sunt Pasquilli & Libelli famosi, hujusmodi vanitatibus, Accusationibus & depravationibus sententiæ & Dictorum nostræ partis, addo etiam criminibus falsi referti? quos D. Jacobus Andreae eodem peculiari Scripto (cujus Titulus *Speculum impudentissimorum mendaciorum* Cal-

Cal-